



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesisius

Sammieli, 1613

De Episcopo post consecrationem cap. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

non bené, ideo nec sine peccato. In ipsa collatione tripliciter potest peccare Episcopatum amplectens. * Primo. Si est ignarus, & ineptus, aut publicus peccator. * Secundo. Si per simoniam, vel fraudem illum acquirit, vel ante ætatem legitimam, aut sacrum ordinem susceptum antea, per sex menses. * Tertio. Si Episcopatum recuset pertinaciter, Papa præcipiente, nisi sit ignarus vel inutilis. Post collationem vero illi factam debet intra tres menses consecrari, sub pena restitutionis omnium reddituum pro rata illius temporis, nisi vero post sex menses curet se consecrari, ipso iure perdit Episcopatum.

De Episcopo post consecrationem.

Cap. 4.

ANte omnia, Episcopo iam consecrato necessaria est pastoralis residentia, etiam si

Episcopus sit Cardinalis. Concil.
Trid. Sess. 23. de reformat. c. 1. &
sine causa legitima nō residere est
peccatum mortale, & tenetur re-
ditus integros pro rata, Ecclesie,
vel pauperibus restituere. Potest
tamen ad breue tempus, vt puta
duorum vel trium mensium, vel
recuperandæ sanitatis, vel alterius
iustę occasionis gratia non reside-
re, sed longior absentia nullo mo-
do permittenda, nisi Christiana
charitas, vel necessitas urgeat, aut
euidens Ecclesie, vel Reipub. utilitas,
seu debita Papæ obseruantia
aliter consulat. Huiusmodi ta-
men causæ à Papæ approbandę
sunt, vel à Metropolitanis, aut se-
niore suffraganeo, & in tali ab-
sentia summa ope niti debet, ne
Ecclesia sua, aliquod detrimentum
patiatur. Item, tenetur per seip-
sum ordines conferre, & confir-
mationis Sacramentum, singulis
annis chrisma conficere, ordines

& beneficia, non nisi dignis conferre, qui etiam beneficia digno relicto, indigno confert, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem: Quod peccatum committit etiam si digniori relicto, dignotantum conferat, quamvis tunc ad restitutionem minimè teneatur. Episcopus insuper debet concionari, & verbum dei seminare. Concil. Trid. Sess. 5. cap. 1. & impeditus, alios peritos debet substituere, Synodum Diocesanam singulis annis conuocare, & Episcopatum visitare, vel saltem maiorem partem, si totum non possit, ita vt biennio totum visitet, idque per se, aut per Vicarium, si per se non possit, præterea bonos ministros constituere, mores populi diligenter considerare, & esse vitæ irreprehensibilis, elemosynas elargiri, subtractis enim iis, quæ ad decentem victum, & frugalem mensam, & consanguini-

neorum paupertatem subleuandam, ac famulorum sibi deseruentium necessaria sunt, residuum sub mortali pauperibus erogare tenetur: quod tamen intelligendum est de bonis Ecclesiasticis, nam de illis quæ de iure hereditario, aut alio sæculari titulo possidet, non tenetur magis facere eleemosynam quàm quiuis alius de suis. Neque tamen si de prioribus non faciat, tenetur ad restitutionem cum etiam illorum habeat dominium: grauiter tamen peccat, eademque est ratio in re pari de aliis Ecclesiasticis. Quod si Episcopus ex aliqua Religione fuerit assumptus, ad ea tenetur statuta, quæ illius sunt Religionis, maximè autem ad vota essentialia & ad habitum, obedientiam tamen ad Papam transtulit, & quod ad paupertatem attinet eam etiam seruare debet, seruat autem in quantum etsi vsum bonorum ha.

beat, non habet tamen dominium: ad cetera autem quæ non potest cum suo statu seruare, non tenetur, & in illis in quibus cum religiosus esset poterat superior cum illo dispensare, potest ipse secum. Non debet ex leui causa excommunicationem fulminare, vti Concil. Trid. Sess. 25. cap. 3. sed oues suas sæper ad cõcordiã hortari, & si publicus fuerit peccator, & ad regimen minimè idoneus, debet petita licentia Episcopatum relinquere, & bonis cedere, & si emitat votum simplex religionis tenetur Episcopatum deserere petita licentia à Papa.

De Curato. Cap. 5.

Curato multa sunt necessaria. Primo. Vt sit legitimus nam illegitimus sine Papæ dispensatione non potest benefi.